Nicolaus Episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Capitulo Clero et Populo Interamnen. Salutem et Apostolicam benedictionem. In excelso sedis Apostolice solio superne dispositionis
arbitrio constituti magno utique desiderio ducimur et operam operosque sollicitam adhibemus ut viduatis Ecclesiis ne prolixe vacationis experiantur incomoda dispendiis pregravetur pastores preficiantur
ydonei rectores providi deputentur per quorum solerter industriam et sollicitudinem vigilantem eedem Ecclesie subductis obstaculis et impedimentis quibuslibet profugatis in suis pulcritudine sedeant pro-
speris semper fulciantur eventibus et votivis successibus congratulentur. Dudum siquidem karissimus filius noster Ludovicus Romanorum Imperator zelo fidei et fervore devotionis accensus de
consilio et assensu multorum in sacra pagina magistrorum cleri populique Romani Jacobum de Caturco hereticum manifestum olim dictum Johannem papam XXII quia in nonnullas hereses inciderat mani-
festas omni dignitate omnique pontificatus honore privavit seu privatum verius nunciavit Nosque processu temporis ad apicem Apostolice dignitatis assumpti prolata per dictum Imperatorem ex certa sciencia
confirmantes et de novo eadem etiam promulgantes contra eiusdem dampnati fautores sequaces et ei pertinaciter adherentes inquirentes Invenimus Thomam de Chelaldeschis de Urbe qui se pro Episcopo
Interamnen gerebat eidem Jacobo notorie adherere et contra nos rebellionis calcaneum erexisse ob que eundem citari fecimus et moneri ut infra certum terminum iam elapsum quem ei peremptorium duxi-
mus assignandum compareret personaliter coram nobis suam super premissis si posset innocentiam ostensurus in eum ferre privationis sententiam comminantes Et quia coram nobis ipse vel alius in termino sibi dato
vel post diutius expectatus non comparuit ullo modo eundem Thomam omni iure siquod sibi competebat in Episcopatu predicto omnique dignitate et potestate privavimus iusticia exigente provisionem ipius
Interamnen Ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni Apostolice sedis et nostre auctoritate Apostolica reservantes Decernentes ex tunc irritum et inane siquid de prefata Interamnen Ecclesia contra huiusmodi
reservationis nostre tenorem scienter vel ignoranter a quoquam contingeret attemptari Et demum levantes in circuitu oculos nostre mentis et ad personam venerabilis fratris Nicolai de [illegible] Episcopi Interamnen
licterarum sciencia preditam morum gravitate decoram consilio providam ac in spiritualibus et temporalibus circumspectam considerationis aciem extendentes ac intendentes patris more sollicite Interamnen Ecclesie
prelibate utiliter providere de ipso ordinis fratrum minorum professore eidem Interamnen Ecclesie de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus ipsumque illi preficimus in Episcopum et
pastorem curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus committendo Ac eidem fecimus per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Albanen munus consecrationis impendi ipsum ad
dictam Ecclesiam cum plenitudine gratie remictendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata Interamnen Ecclesia sub suo felici regimine prospere dirigetur et salubria dante domino
suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus eidem Episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes ei obedienciam et reverenciam
debitam et devotam eius salubria monita et mandata suscipiatis devote et efficaciter adimplere curetis alioquin sententiam quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles ratam habebimus et
faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat.
Viterbii Duodecimo Kl. Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.